



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Quæ hoc capite dicta sunt, insigni documento confirmantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Potes etiam non sine ratione aut exemplo, ipsum cor-
tuum, ut Filij Dei electum sepulcrum considerare, quod ip-
semet sibi ut locum quietis delegerit, & in quo à te cupiat
piorum desideriorum & sanctarum operationum aromatis
inungi. Certè, si (ut à nobis superius indicatum est) cor-
poris ac sanguinis Christi consecratio, idcirco ejusdem in-
cruce immolationem repræsenterat, quòd per eam certà ra-
tione corpus Christi ut exangue & exanime exhibeatur:
consequens est ipsà communionem Christi sepulturam adum-
brari, & cor seu pectus divina mysteria participantis, in quo
corpus Christi sub panis specie recipitur, instar esse illius se-
puleri, in quod post mortem illatum & conditum est. Hoc
etiam affirmante S. Damasceno, cum ait: Christi corpus in
altari per Sacerdotis manus elevari velut in erucem; & dum
distribuitur ac sumitur, in nobis velut sepeliri.

*l. de corp.
Christi.*

l. II. c. 24.

Idque adeò ei, quam supra laudavi, S. Mechtildi ali-
quando à Dei Matre monstratum est. Nam cum ferià sex-
tâ majoris hebdomadæ, horâ Completorij, uti aliàs sæpe,
apparuisse B. Virgo, & ab ea sibi præcipi audisset; accipe-
ret filium suum dilectissimum, eumque in corde suo sepe-
ret: continuo sensit cor sibi in morem argentei sarcophagi
conformari, operculum aureum habentis (quibus quidem
metallis munditia cordis, & sancti amoris vis, quâ Deus in
corde amantium retinetur, adumbrabatur) moxque ipsum
Christum eo quasi conditorio recipi, deque ejus præsentia
exultantem animam cœlesti quadam suavitate perfundi.

§. 3.

*Quæ hoc capite dicta sunt, insigni documento
confirmantur.*

TAndem ad eorum, quæ hætenus dicta sunt, confirma-
tionem, placet hic referre, quod sanctæ Virgini Lydvi-
næ aliquando contigit. Tenebatur illa, quodam die, ma-
gno

gno desiderio sacram Eucharistiam recipiendi: qua in re cum Parochus se satis difficilem præberet, idque illa ferret gravatè; adstitit illi Angelus, qui nunciaret; ei consolandæ atque erigendæ; ipsum per se Christum haud ita pòt esse adfuturum. Porrò advenientis Salvatoris pompa hæc fuit.

Præibant è cœlesti militia præclari juvenes; atque alius crucem, aliùs clavos, lanceam alius, alij alia Dominicæ passionis insignia præferentes, pauperi Virginis lectulo circumfunduntur.

Subsequitur sanctissima Dei Mater, non sinè insigni aliorum Sanctorum comitatu. Demum ipse Christus, in forma primùm speciosissimi pueri; qui deinde in virum ætatis perfectæ mutatus, velut crucifixus tertioque spineo coronatus, ac toto corpore sanguinolentus apparuit: tandemque (rogante Virgine, ut ei aliquod præsentia suæ signum ac monumentum relinqueret) in speciem candidæ ac radiatæ hostiæ conversus est: quam in mappula relictam, & conspicuâ Christi crucifixi figurâ, vulneribus etiam cruentis, & sanguineis guttis spectabilem, ipsa denique de Parochi manu suscepit, cum animi sui exultatione incredibile.

Ex quo exemplo fit perspicuum, quod dicebamus, divinissimorum mysteriorum participationi solennem passionis Christi memoriam intermiscendam; idque ipsi Salvatore nostro gratum in primis & complacitum esse.

Ad extremum addimus; quod de passionis Christi memoria ad Eucharistiæ susceptionem adferenda hîc diximus; id, tamen minùs evidenter, attamen suo modo in reliquis quoque Sacramentis locum habere: quippe cum omnia ex Christi passione vim habeant, ejusque merita ac sanguinem speciali ratione contineant. Præcipuè verò in Sacramento Pœnitentiæ, in quo dum peccator à Sacerdote absolvitur, meritò sibi figurabit, quasi sub ipsa Christi cruce positus, perfundatur ipsius sanguine, de apertis adhuc vul-

neri-

neribus ad ipsius emundationem scaturiente. Quæ cogitatio etiam cautioni serviet, ne deinceps repetitis sceleribus, in se polluat divinum sanguinem, & salutis vitæque æternæ pretium convertat in damnationis argumentum.

CAPUT VIII.

Christum patientem in membris suis agnoscere.

§. I.

Egenos, afflictos, ulcerosos, ut proprias Christi patientis imagines aspiciendos esse.

*Serm. 4.
de Nat.*

Siquidem ex quo Dei Filius, cum carne nostra mortali, ejus miserias atque ærumnas in se suscepit, easque in suo corpore (uti S. Bernardus loquitur) dedicavit: oportet nos illas alijs jam oculis aspicere; & tanquam res ipso Christi tactu consecratas, imò veluti ea quæ ad sacram ipsius humanitatem pertinuerint, ei que inhæserint, cum amore, cultu, ac reverentiâ tractare. Etenim ut ait Theodotus Ancyre Episcopus, hom: 2. de Nativitate: *In se suscepit crucem (sive, ut in Græco est, familiarem sibi ac peculiarem effecit) suam fecit alapam, vincula sua fecit; ut Dei propriæ effectæ passionem, adversus passiones acciperent potestatem.*

*de Ger. re-
lig. c. 16.*

*In 3. p. q. 46
n. 5.*

Quod si, ut sapienter philosophatur S. Augustinus, Dei Filius opes, delicias, honores ac mundi gloriam, & reliqua quæ tanti æstimantur ab hominibus, ipso neglectu ac despicientiâ, sive (ut ipse ait) *carendo vilia fecit*: profectò quæ his adversa sunt, inopiam, labores, dolores, contemptum, opprobria, in se assumendo suâque faciendo, pretiosa effecit, imò (ut loquitur Cardinalis Cajetanus) deificavit, eoque non amore tantùm, sed etiam veneratione dignissima reddidit. Idque eò magis, quòd miseriæ nostræ atque ærumnæ, non extrinsecus duntaxat, aut solo contactu (ut

flagel-